

PONTIFICIA COMMISSIO  
CODICI IURIS CANONICI  
RECOGNOSCENDO

# COMMUNICATIONES

VOL. XI - N. 1

---

1979

---

# COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS  
CANONICI RECOGNOSCENDO

PIAZZA PIO XII, 10 - 00193 ROMA

NUM. 1

IUNIO 1979

## EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Allocutio ad quosdam sacros Praesules nationis Canadensis . . . . .	3
Allocutio ad Sacram Romanam Rotam . . . . .	8

## EX ACTIS SANCTAE SEDIS

### *Sacra Congregatio pro Religiosis et Institutis saecularibus*

Procedura da seguire in caso di dimissioni di una religiosa di voti perpetui	14
--	----

### *Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal*

Vestmonasterien. De Legitimitate novarum Constitutionum . . . . .	18
---	----

## ACTA COMMISSIONIS

### *Opera Consultorum in recognoscendis schematibus canonum*

I. Coetus studiorum de Institutis vitae consecratae per professionem consiliorum evangelicorum . . . . .	22
II. Coetus studiorum de Processibus . . . . .	67

## DOCUMENTA

De iuribus infantium (P. Card. Felici) . . . . .	163
--	-----

NOTITIAE . . . . .	171
--------------------	-----

**II****COETUS STUDIORUM DE PROCESSIBUS**

Moderante Exc.mo R. I. Castillo Lara, Secretario Commissionis, relatore Exc.mo A. Sabattani, Coetus specialis « De Processibus » (cf. *Communicationes* 10, 1978, p. 209) Sessiones habuit diebus 23-28 octobris 1978, 20-25 novembris 1978 et 11-16 decembris 1978, in quibus prosecutus est labor ad examinandas animadversiones quae ab organis consultationis prolatae sunt circa Schema canonum de iure processuali.

**SESSIO III****(diebus 23-28 octobris 1978 habita)****Adunatio diei 23 octobris 1978**

Examinatur Tit. V novi schematis, qui agit « de actionibus et exceptionibus », circa quem animadversiones quaedam generales factae sunt ab organis consultationis. Animadversiones votum exprimunt ut actiones specificae, quae sub variis capitibus huius Tituli describuntur, vel supprimantur vel ad simpliciorem formam respectivae normae redundantur.

Actiones enim illae, sub iure romano ortae et res ac iura temporalia ut obiectum habentes, in iure canonico deinde receptae fuerunt et magno in usu fuerunt dum Ecclesia pollebat auxilio brachii saecularis. Recentioribus saeculis adhuc illae actiones in iure canonico perseverabant, quasi reliquiae temporis acti. Nostris temporibus vero numerus causarum quae dicuntur iurium, praesertim causae patrimoniales, ita decreverunt, ut actiones illae specificae hodie vix ullum usum habeant in tribunalibus ecclesiasticis ideoque legislatio circa illas fere superflua dicenda videtur. Quod si aliqui dentur adhuc casus, ipsis occurri satis poterit per actionem illam genericam cuivis iuri concessam (« quodlibet ius actione munitur »).

Singuli Consultores suam sententiam exprimunt et omnes videntur convenire in proposito retinendi titulum de actionibus et exceptioni-

bus, qui tamen funditus recognosci debet ut supprimantur quae superflua videntur et normae simpliciores reddantur.

— Suggestum est etiam ut hic titulus de actionibus et exceptionibus novam ordinationem systematicam habeat secundum hoc schema:

- Cap. I: De actionibus et exceptionibus in genere (cc. 102-106, 124-126, 135-136).
- Cap. II: De quibusdam actionibus specialibus (cc. 115, 118, 122, 123).
- Cap. III: De actionibus seu remediis possessoriis (cc. 127-134).
- Cap. IV: De actionibus ad obtinendam iurium tutelam provisoriam seu decisionem iudiciale ad interim (cc. 107-114).

Canones autem 116 et 119-121, secundum hoc schema, alibi collocandi sunt, cum ius substantivum contineant.

Consultores generatim hanc propositionem novae systematicae bene acceptant, attamen de re quaestio erit quando singulae normae huius tituli recognitae fuerint.

— Nonnulli proposuerunt ut in hoc titulo recenseantur quoque actiones quae moveri possunt apud tribunalia administrativa, scilicet actiones de impugnatione actorum administrativorum vel de ipsorum annullatione; nec praetermittatur quod exerceri etiam possunt coram administrativa iurisdictione actiones petitoriae vel possessoriae et ad damnorum reparationem cum de aliqua materia iam lata sit decisio quae-dam administrativa.

Huic propositioni favet unus Consultor, dum aliis Consultoribus melius videtur ut tales actiones recenseantur in parte de procedura administrativa, prout iam in schemate de procedura administrativa propositae sunt.

*Can. 102 (CIC 1667)*

*Quodlibet ius non solum actione munitur, nisi aliud expresse causum sit, sed etiam exceptione, quae semper competit et est suapte natura perpetua.*

Nonnulli petierunt ut anticipetur hic materia Cap. VII huius tituli,

quod agit « de extinctione actionum »,<sup>1</sup> quae una cum materia can. 102 ita per duos sequentes canones disponatur:

*Can. 102:* « § 1. Quodlibet ius non solum actione munitur, nisi aliud expresse cautum sit, sed etiam exceptione.

§ 2. Si causa apud tribunal civile agatur vel iam iudicata sit, in eadem causa nonnisi consentiente Episcopo actio datur coram tribunali ecclesiastico ».

*Can. 102 bis:* « § 1. Actio extinguitur in contentiosis praescriptione ad normam iuris, exceptis actionibus de statu personarum, quae numquam extinguuntur, et in criminalibus secundum praescripta, de quibus in cann. ... (de iure poenali).

§ 2. Exceptio semper competit et est suapte natura perpetua ».

Propositio ita enucleandi materiam placet Consultoribus. Ad formulam quod attinet, discussio habetur an retinenda sit § 2 can. 102, qua requiritur consensus Episcopi ad actionem movendam coram tribunali ecclesiastico quando causa apud tribunal civile agatur vel iam iudicata sit.

Aliquis Consultor proponit ut haec norma non admittatur ne nimis limitetur norma § 1. Post brevem discussionem etiam alii Consultores idem sentiunt.

— Quoad can. 102 bis, unus Consultor proponit ut in § 1 non fiat distinctio inter actionem in contentiosis et actionem in criminalibus sed dicatur simpliciter « actio extinguitur praescriptione ad normam iuris ». Aliis Consultoribus non placet propositio haec quia actiones poenales etiam alio modo extingui possunt praeterquam per praescriptionem. Attamen formula can. 102 bis, § 1 recipi non potest prout proposita est, quia in nostris schematibus sive de iure poenali sive de iure processuali, deest canon qui in toto reproducat can. 1702 CIC, ubi distinete numerantur modi quibus actio criminalis perimitur. Quare Consultores, post brevem discussionem, hanc formulam eligunt:

<sup>1</sup> En textus canonum qui habentur in Cap. VII:

*Can. 135* (CIC 1701). *In contentiosis actiones tum reales tum personales extinguuntur praescriptione ad normam iuris; actiones autem de statu personarum numquam extinguuntur.*

*Can. 136* (CIC 1702). *De criminalis et poenalis actionis extinctione serventur canones proprii.*

« Quaevis actio extinguitur praescriptione ad normam iuris aliove legitimo modo, exceptis actionibus vero de statu personarum, quae numquam extinguuntur ».

*Can. 103 (CIC 1668)*

§ 1. *Qui ad rem sibi vindicandam, seu ad ius suum in iudicio persequendum titulo agit iuris auctoritate subnixo, actione dimicat quae petitoria dicitur.*

§ 2. *Si vero rei possessionem vel iuris quasi-possessionem postulat, eius actio possessoria vocatur.*

Suggestum est ut hic canon deleatur cum referat notiones quae ad doctrinam pertineant (placet omnibus).

*Can. 104 (CIC 1669)*

§ 1. *Actor pluribus simul actionibus, quae tamen secum ipsae non confligant, sive de eadem re, sive de diversis, reum convenire potest, si aditi tribunalis competentiam non egrediantur.*

§ 2. *Reus non prohibetur pluribus exceptionibus etiam contraria uti.*

Aliqui Consultores censent § 1 huius canonis supprimi posse, quia non est nisi mere declarativa communis praxis quae viget ubique et contra quam nullum vetitum exstat in lege. Alii Consultores vero volunt normam servare ne aliquis iudex cumulum actionum renuat nisus principio quod omnis actio suam causam habet.

Fit suffragatio an placeat delere § 1: placet 4, non placet 4.

Cum exitus suffragationis par sit, praevalet textus prout est.

— Relator proponit ut deleatur § 2, ne parti conventae ius maius conferatur quam actori; quae enim competunt actori competunt etiam reo et concessio cumuli exceptionum contrariarum sapit nimio formalismo. Propositio haec omnibus placet.

*Can. 105 (CIC 1670)*

§ 1. *Actor potest una instantia cumulare actiones possessorias et petitorias, nisi spolii exceptio ex adverso opponatur.*

§ 2. *Pariter potest reus conventus in petitorio, actorem reconvenire in possessorio; et vice versa, nisi res sit de spolio.*

Relator censet hunc canonem supprimi posse, quia sufficit principium connexionis in can. 14 statutum, vi cuius « ab uno eodemque tribunal et eodem processu cognoscendae sunt causae inter se conexae ». Propositio haec placet Consultoribus.

*Can. 106 (CIC 1671)*

*§ 1. Potest actor, antequam conclusum fuerit in causa, ab instituto iudicio petitorio regredi ad possessorum adipiscendae vel recuperandae.*

*§ 2. Imo ex iusta causa iudex etiam post conclusionem in causa, sed ante sententiam definitivam, hunc regressum permettere potest.*

*§ 3. Iudicis est, attentis partium allegationibus, aut utramque quaestionem unica sententia definire, aut prius uni, postea alteri satisfacere, prouti magis expedire ipsi videatur ad celeriorem et pleniorem iurium tuitionem et firmis praescriptis can. 68, § 1 et 133, § 1.*

Consultor quidam proponit ut supprimatur haec norma quae superflua videtur (placet omnibus).

\* \* \*

Examinatur deinde propositio a nonnullis organis consultationis facta collocandi hic canones 124-126 de actionibus reconventionalibus. Consultores, post aliquam discussionem, convenient actiones reconventionales, cum non habeant obiectum proprium et specificum, sed potius constituant quemdam mechanismum processualem defensionis, valde exceptionibus similem, recenser possent inter canones generales de actionibus et exceptionibus.

Examinantur ergo cann. 124-126.

*Can. 124 (CIC 1690)*

*§ 1. Actio quam reus coram eodem iudice in eodem iudicio instituit contra actorem vel propter causae nexum cum actione principali vel ad submovendam vel minuendam actoris petitionem, dicitur reconventio.*

*§ 2. Reconventio reconventionis non admittitur.*

— Circa § 1 suggestum est ab aliquo organo consultationis ut formula ita mutetur:

Can. 104 bis. « Reus potest coram eodem iudice in eadem causa

contra actorem vel propter causae nexus cum actione principali vel ad submovendam vel ad minuendam actoris petitionem actionem reconventionalem instituere ».

Consultores talem formulam approbant, mutatione autem initio inducta hoc modo: « Pars conventa potest coram eodem iudice in eodem iudicio contra actorem, etc. ».

— De § 2 non habentur animadversiones, ergo manet prout est.

*Can. 125 (CIC 1691)*

*Actio reconventionalis locum habere potest in omnibus causis contentiosis, exceptis causis spoli.*

Cum causae de spolio vix umquam dentur in nostris tribunalibus, aliquis Consultor proponit ut canon deleatur. Propositio omnibus placet.

*Can. 126 (CIC 1692)*

*Proponenda est iudici coram quo actio principalis instituta est, licet ad unam causam dumtaxat delegato vel alioquin incompetenti, nisi, ad actionem reconventionalem quod attinet, is sit absolute incompetens.*

Formula huius canonis ita mutatur a Consultoribus:

Can. 104 ter. « Actio reconventionalis proponenda est iudici coram quo actio prior instituta est, licet ad unam causam dumtaxat delegato vel alioquin relative incompetenti ».

Adunatio diei 24 octobris 1978

## CAPUT I

### DE SEQUESTRATIONE ET INHIBITIONE EXERCITII IURIS ATQUE DE ALIMENTIS PRAESTANDIS

*Can. 107 (CIC 1672)*

§ 1. *Qui probabilibus saltem argumentis ostenderit super aliqua re ab alio detenta ius se habere sibique damnum imminere nisi res ipsa custodienda tradatur, ius habet obtinendi a iudice eiusdem rei sequestrationem.*

*§ 2. In similibus rerum adiunctis obtinere potest ut iuris exercitium alicui inhibeatur.*

*§ 3. Sequestratio rei et inhibitio exercitii iuris a iudice decerni potest ex officio, instante praesertim promotore iustitiae aut defensore vinculi, quoties bonum publicum, vel tuitio minorum eorumque qui minorum iure fruuntur id postulare videatur.*

Consultores, attento proposito totam materiam de actionibus et exceptionibus nova systematione reordinandi, differunt discussionem circa inscriptionem huius Cap. I et ad recognitionem canonum statim procedunt.

Circa can. 107 aliquis Consultor censem *§ 3* deleri posse, stante can. 53 ubi statuitur obligatio iudicis procedendi ex officio quoties bonum publicum vel tuitio minorum id postulare videatur. Haec propositio placet omnibus.

*Can. 108 (CIC 1673)*

*§ 1. Ad crediti quoque securitatem sequestratio rei admittitur, dummodo de creditoris iure manifesto constet et servata norma de qua in can. 316.*

*§ 2. Sequestratio extenditur etiam ad res debitoris quae quolibet titulo apud alias personas reperiantur, et ad debitoris credita.*

Consultor quidam censem hunc canonem praebere explicitationem quandam canonis praecedentis, quae superflua videtur, ideoque praetermitti posse. Alius Consultor autem animadvertis materiam can. 108 aliam esse ac materiam can. 107; ibi enim agitur de sequestratione rei super qua ius suum quis ostendat, in praesenti canone autem agitur de assequenda securitate crediti ope sequestratione alicuius rei.

Fit suffragatio an placeat delere can. 108: placet 4, non placet 5.

— Suggestum est ut in § 1 deleatur verbum « manifesto », quo nimis exigi videtur et eius loco dicatur « satis constet » (placet 6, non placet 3).

*Can. 109 (CIC 1674)*

*Sequestratio rei et inhibitio exercitii iuris decerni nullatenus possunt, si damnum quod timetur, possit aliter reparari et idonea cautio de eo reparando offeratur.*

*Can. 110 (novus)*

*Iudex potest ei cui sequestrationem rei vel inhibitionem exercitii iuris concedit, praeviā imponere cautionem de damnis, si ius suum non probaverit, resarcendis.*

De his canonibus non factae sunt animadversiones.

*Can. 111 (CIC 1675)*

*§ 1. Ad custodiā rei sequestrationi subiectae idoneus sequester, proponentibus partibus, a iudice designetur; si partes inter se dissident, iudex ipse sequestrem deligat.*

*§ 2. Sequester in re custodienda, curanda et servanda non minorem diligentiam adhibere debet quam suis adhibet rebus, remque postea, cui iudex decreverit, reddere debet cum omni causa.*

*§ 3. Iudex congruam decernat mercedem sequestri, si eam petat.*

Consultoribus, uno tantum excepto, placet hunc canonem delere, quia isti casus nostris temporibus rarissime dimicantur in nostris tribunibus et, si umquam casus eveniet, ipse iudex providere potest.

*Can. 112 (novus)*

*§ 1. In causis matrimonialibus, libello vel orali petitione admissa, coniux postulare potest ut iudex suae filiorumque minorum securitati provideat.*

*§ 2. Si minores adsint liberi statuat iudex per decretum cui committi debeant pendente processu.*

*Can. 113 (novus)*

*Quoties introducta est petitio ad obtinendam provisionem ad hominis sustentationem, iudex auditis partibus, decreto statim exsequendo, statuere potest, idoneis si res ferat praescriptis cautionibus, ut interim necessaria alimenta praestentur, sine praeiudicio iuris per sententiam definiendi.*

*Can. 114 (novus)*

*Proposita a parte vel a promotore iustitiae petitione ad obtinendum decretum de quo in can. 113, iudex, audita altera parte, expeditissime provideat, numquam autem ultra decem dies; quibus inutiliter trans-*

*actis, aut petitione reiecta, patet recursus ad Episcopum tribunalis moderatorem, dummodo ipse ne sit iudex, vel, si quis malit, ad iudicem appellationis, qui item expeditissime decernant.*

De istis canonibus plures animadversiones ab organis consultationis factae sunt. Ipsi normae videntur optimae theoretice loquendo, sed in praxi tales normae erunt omnino inanes, cum Ecclesia non habeat media ad illas urgendas, quae supprimendae potius videntur.

Consultores concordes sunt circa suppressionem can. 112, discrepant vero quoad cann. 113-114. Maioritati placet etiam cann. 113-114 suppressimere. Duo Consultores autem volunt hos canones servare.

Deinde fit brevis discussio et praे oculis habetur etiam norma quae in Schemate « de matrimonio » exstat, qua parochus vetatur ne assistat sine licentia Ordinarii matrimonio eius qui obligationibus teneatur naturalibus erga aliam partem filiosve ex praecedenti unione ortis.

Maior pars Consultorum votum exprimit ut, si deleantur cann. 113-114, explicita norma substantiva in parte de matrimonio ponatur, circa obligationes providendi sustentationi filiorum vel partis. Hoc voto prolatu, fit suffragatio an placeat delere cann. 113-114: placet 7, non placet 2.

## CAPUT II

### DE ACTIONIBUS EX NOVI OPERIS NUNTIATIONE ET DAMNO INFECTO VEL COMPENSANDO

Can. 115

*Novi operis nuntiatio et actio de damno infecto dantur etiam in foro Ecclesiae, servatis praescriptis iuris civilis.*

Can. 116

*Quodlibet damnum iniuria datum resarciendum est ab eo cuius dolo vel culpa illatum sit, vel etiam, si ita ius civile vel aequitas postulet, ab eo qui sine sua culpa damno causam dederit.*

Can. 117

*Ius civile, in casibus de quibus in cann. 115-116, eatenus servandum est, quatenus neque contra ius divinum sit neque contra aequitatem canonicanam, et nisi aliter canonico caveatur.*

Aliquis Consultor proponit ut totum Caput II supprimatur, quia casus actionum ex novi operis nuntiatione et damno infecto vel compensando sunt tam rari in nostris tribunalibus ut inutilis evadat configurare in lege evolutionem processualem circa tales specificas actiones, cum sufficiat principium generale « omne ius actione munitur ».

Etiam alii tres Consultores concordant circa suppressionem huius capituli.

Ceteri Consultores autem servare vellent tantum can. 116, attamen, prae oculis habentes can. 117 schematis<sup>2</sup> de Normis Generalibus, consentiunt ut etiam can. 116 deleatur.

Consultores occasione suppressionis can. 117, votum faciunt ut in Libro I de Normis Generalibus, introducatur canon generalis ita vel similibus verbis redactum:

« Quoties lex canonica ad ius civile remittit, ius civile eatenus servandum est quatenus neque contra ius divinum sit neque contra aequitatem canonicam, et nisi aliter iure canonico caveatur ».

### CAPUT III DE ACTIONIBUS OB NULLITATEM ACTORUM

#### *Can. 118 (CIC 1679)*

*Si actus aut contractus sit ipso iure nullus, datur ei, cuius interest, actio ad obtinendam a iudice declarationem nullitatis.*

#### *Can. 119 (CIC 1680)*

*§ 1. Nullitas actus tunc tantum habetur, cum in eo deficiunt quae actum ipsum essentialiter constituunt, aut sollemnia seu condiciones desiderantur a canonibus ad validitatem requisitae.*

*§ 2. Nullitas alicuius actus importat nullitatem actuum qui ab actu nullo dependent.*

#### *Can. 120 (CIC 1681)*

*Qui actum posuit nullitatis vitio infectum, tenetur de damnis et expensis erga partem laesam si illicite egerit.*

<sup>2</sup> En textus canonis:

*Quicumque illegitime actu iuridico, immo quovis alio actu libere posito, alteri damnum inferat, obligatione tenetur ad damnum illatum reparandum.*

*Can. 121 (CIC 1683)*

*Iudex infra Romanum Pontificem de confirmatione ab Ipso actui vel instrumento adiecta, videre non potest, nisi Apostolicae Sedis praecesserit mandatum.*

Unus Consultor proponit ut Cap. III deleatur, salvo can. 121 qui alibi collocari debet. Etiam alii Consultores concordant ut istud Caput deleatur, attentis novis canonibus (can. 112) qui in libro de Normis Generalibus in hac materia habentur.

Relatori servanda videtur norma can. 119, § 2, quae non comparat in illis canonibus de Normis Generalibus, sed aliquis Consultor animadvertisit normam can. 119, § 2 esse theoretice optimam, quae tamen difficulter in praxi applicari potest, cum fere impossibile sit in casu concreto dicere aliquem actum ab alio dependere.

Omnibus perpensis ergo, Consultoribus placet cann. 118-120 delere.

Norma can. 121 debet alibi collocari. Circa hanc quaestionem adest propositio alicuius organi consultationis ponendi illam normam in can. 5, ubi sermo fit de causis quae reservantur S. Sedi.

Propositio haec placet Consultoribus, qui aliam § (quae erit § 2) in can. 5 ponunt, his verbis redactam:

« Iudex de actu vel instrumento a Romano Pontifice in forma specifica confirmato videre non potest, nisi ipsius praecesserit mandatum ».

#### CAPUT IV DE ACTIONIBUS RESCISSORIIS

*Can. 122*

*De rescissione actuum, qui ex iure ecclesiastico sint validi sed rescindibiles, serventur, opportune aptata, praescripta iuris civilis, nisi iure divino contraria sint aut aliud iure canonico caveatur.*

*Can. 123*

*Quod si actio ad normam iuris civilis praescriptione vel decadentia extincta sit antequam is, qui ius habet petendi rescissionem, uno anno maiorem aetatem excesserit, ad hunc diem prorogatur.*

Consultores censem hos canones supprimi posse, sive quia adest principium generale quo omne ius actione munitur, sive quia in can. 113 de Normis Generalibus invenitur notio rescissionis et mentio de requisito ministerio iudicis ad actum rescindendum.

Adunatio diei 25 octobris 1978

CAPUT VI  
DE ACTIONIBUS SEU REMEDIIS POSSESSORIIS

*Can. 127 (CIC 1693)*

*Qui ad possessionem alicuius rei adipiscendam, vel ad alicuius iuris exercitium obtinendum munitur titulo legitimo, petere potest, ut in rei possessionem vel iuris exercitium immittatur.*

*Can. 128 (CIC 1694)*

*Non solum possessio, sed etiam simplex detentio praestat, ad normam canonum qui sequuntur, actionem vel exceptionem possessoriam.*

*Can. 129 (CIC 1695)*

*§ 1. Qui annum integrum in possessione rei vel in quasi-possessione iuris manserit, si molestiam patiatur quominus suam possessionem vel quasi-possessionem retineat, habet actionem retinenda possessionis.*

*§ 2. Haec actio non admittitur nisi intra annum ab illata molestia adversus molestiae auctorem ut a molestiis desistat.*

*Can. 130 (CIC 1696)*

*§ 1. Etiam qui vi, clam vel precario possidet, actione retinenda possessionis uti potest adversus quemlibet deturbatorem: non autem contra personam a qua ipse rem vi vel clam surripuit aut precario accepit.*

*§ 2. In causis quae ad bonum publicum spectant, iustitiae promotori ius est opponendi vitium possessionis adversus eum qui vi, clam vel precario possidet.*

*Can. 131 (CIC 1697)*

*§ 1. Si inter duos controversia oriatur uter eorum possideat, ille in possessione praferendus est qui intra annum frequentiores et potiores possessionis actus exercuit.*

*§ 2. In dubio iudex possessionem pro indiviso utrique parti attribuat.*

§ 3. Si rei vel iuris indeoles aut contentionum et rixarum periculum non patientur ut litigantibus pro indiviso possessio interim attribuatur, iudex rem apud sequestrem deponi, aut iuris quasi-possessionem suspendi iubeat usque ad iudicii petitorii exitum.

Can. 132 (CIC 1698)

§ 1. Qui vi aut clam quoquo modo a possessione rei vel quasi-possessione iuris deiectus est, adversus quemlibet spolii auctorem vel rei detentorem habet actionem spolii seu recuperandae possessionis et spolii exceptionem.

§ 2. Haec actio non admittitur praeterlapso anno postquam spolium passus rei notitiam habuit; exceptio, contra, perpetua est.

Can. 133 (CIC 1699)

§ 1. Spoliatus adversus spoliantem excipiens et probans spolium, obligatione respondendi non tenetur, nisi prius fuerit in suam possessionem restitutus.

§ 2. Spoliatus ut in possessionem restituatur, nihil aliud probare debet, nisi spoliationem ipsam.

§ 3. Sed si in restitutione rei vel exercitii iuris aliquod occurrat periculum (uti saevitarum, cum vir contra uxorem postulat restitutionem coniugalis consortii), iudex, ad instantiam partis vel promotoris iustitiae, pro diversis adjunctis decernat aut restitutionem suspendi, aut rem vel personam apud sequestrem custodiri, donec causa petitorio iudicio definiatur.

Can. 134 (CIC 1700)

Iudicia possessoria absolvenda sunt, citata dumtaxat adversa parte in iudiciis retinendae vel recuperandae; citatis vero omnibus iis quorum interest, in iudiciis adipiscendae.

Quod attinet ad remedia possessoria, Consultor quidam animadvertis agi de institutis quae, tempore transacto, praesertim in medio aeo maximae utilitatis et inde etiam usui fuerunt Ecclesiae, v. gr. pro defensione dotis beneficiorum. Inde etiam quod haec remedia, praesertim vero actio recuperandae possessionis seu « de spolio », plures determinationes et veluti privilegia acciperent a Romanis Pontificibus. Hodie vero usus talium actionum ob mutatas rerum circumstantias

ita decrevit ut institutum ipsum, tamquam actio specifica in sua evolutione descripta, e Codice penitus deleri potest.

Etiam alii duo Consultores sunt pro suppressione.

Quartus autem censet haec instituta supprimi non posse, quamvis casus harum actionum rarissimi sint in nostris tribunalibus. Tales casus enim, si quando eveniant, indigent protectione iuridica, quae non sufficienter haberi potest ex solo principio generali « omne ius actione munitur ».

Ceteri Consultores censem opportunam esse in hac materia remissionem ad ius civile.

Fit suffragatio an placeat penitus delere cann. 127-134: placet 4, non placet 4.

Cum non habeatur maioritas pro suppressione, fit aliqua discussio de opportunitate canonizationis iuris civilis et tandem omnes sunt concordes pro hac solutione.

Duo Consultores proponunt hanc formulam, quae omnibus placet:

« Ad naturam et vim (efficaciam) actionis possessoriae quod attinet serventur praescripta iuris civilis loci ubi sita est res de cuius possessione agitur ».

\* \* \*

Recognitione tituli de actionibus et exceptionibus ita peracta, Consultores examinant quaestionem de ordinatione systematica canonum qui servati sunt sub hoc titulo et ita rem definient sive quoad rubricas, sive quoad distributionem canonum:

Tit. V: De actionibus et exceptionibus.

Cap. I: De actionibus et exceptionibus in genere (cc. 102, 102 bis, 104, 104 bis, 104 ter).

Cap. II: De actionibus et exceptionibus in specie (cc. 107, 108, 109, 110, 127).

\* \* \*

Antequam incipiat recognitio secundae partis huius libri quae agit « De iudicio contentioso in genere », resumitur quaestio generalis quae proposita fuit a quibusdam organis consultationis ut ordinatio systematica nempe respondeat criterio practico, non scientifico: cum fere omnes causae in Ecclesia matrimoniales sint, melius est si processus matrimonialis describatur in tota sua evolutione, quin fiat remissio ad canones de processu contentioso ordinario et talis processus principaliorem locum

teneat in libro de processibus ita ut aliquo modo tamquam processus-typus habeatur, loco ipsius processus contentiosi ordinarii.

Quinque Consultores sunt omnino contrarii huic propositioni. Ratio est sive quia ipsa prospectiva processualis deformaretur tamquam si in Ecclesia administratio iustitiae ordinaretur pro causis matrimonialibus tantum, sive quia difficultates quae moventur contra actualem systematicam potius manifestant quamdam carentiam studii iuris canonici in Ecclesia, sive quia praeoccupati esse debemus de consequentiis quae nova systematica haberet tum in ordine scientifico, tum in ordine ad proxim processualem tribunalium ecclesiasticorum.

Consultor quidam mordicus defendit opportunitatem accedendi propositio novae systematicae, quia, dicit ipse, instanter id petitur ab illis qui in tribunalibus agunt. Etiam alter Consultor dicit se favere propositioni novae systematicae, etsi admittat systematicam nostri schematis magis logicam et scientificam esse.

Tertius Consultor censet solutionem meliorem quaestionis assequi posse si servetur systematica nostri schematis, attamen in recognoscenda parte « de iudicio contentioso in genere », magnum studium habeatur ad evolutionem institutorum et normarum ita ordinandam ut eius usus in praxi tribunalium aptior evadat pro celebratione processuum matrimonialium.

Post brevem discussionem, fit suffragatio an placeat mutare ordinem systematicum ut supra propositum: placet 2, non placet 5, abstinet 1.

Omnes Consultores tamen concordant cum tertio Consultore.

His dictis, incipit examen animadversionum circa canones de iudicio contentioso in genere.

PARS SECUNDA  
DE IUDICIO CONTENTIOSO IN GENERE

TITULUS I  
DE CAUSAE INTRODUCTIONE

CAPUT I  
DE LIBELLO LITIS INTRODUCTORIO

*Can. 137 (novus)*

*Iudex nullam causam cognoscere potest, nisi petitio, ad normam canonum, proposita sit ab eo cuius interest, vel a promotore iustitiae.*

— Suggestum est ut pars II inscribatur *de iudicio contentioso ordinario*. Aliquis Consultor autem inscribere vellet *de evolutione processus in genere*, ita ut sub rubrica describatur procedura quae sit basis pro omni specie processus.

Post brevem discussionem fit suffragatio an placeat *de iudicio contentioso ordinario*: placet 6, non placet 2.

— Suggestum est etiam ut Cap. I inscribatur *De petitione iudiciali*, sed talis inscriptio videtur Consultoribus nimis genericā.

— De can. 137 non factae sunt animadversiones.

*Can. 138 (CIC 1706)*

*Qui aliquem convenire vult debet libellum competenti iudici exhibere, in quo controversiae obiectum proponatur, et ministerium iudicis expostuletur.*

*Can. 139 (CIC 1707)*

§ 1. *Petitionem oralem iudex admittere potest, quoties vel actor libellum exhibere impediatur vel causa sit facilis investigationis et minoris momenti.*

§ 2. *In utroque tamen casu iudex notarium iubeat scriptis actum redigere qui actori legendus est et ab eo probandus.*

De his canonibus non habentur animadversiones.

*Can. 140 (CIC 1708)*

*Libellus quo lis introducitur debet:*

- 1) *exprimere coram quo iudice causa introducatur, quid petatur et a quo petatur;*
- 2) *indicare quibus argumentis et probationibus innitatur actor ad comprobanda ea quae allegantur et asseruntur;*
- 3) *subscribi ab actore vel eius procuratore, appositis die, mense et anno, nec non loco in quo actor vel eius procurator habitant, aut residere se dixerint actorum recipiendorum gratia.*

— Suggestum est ut in n. 2 dicatur « indicare *summarie* quibus argumentis ... ». Haec explicitatio videtur superflua, quia per verbum « indicare » id proprie innuitur, non requiri scilicet completam descriptionem et evolutionem argumentorum et probationum.

— De sententia alicuius organi consultationis n. 2 canonis non potest regi a verbo « debet », nam libellus qui caret elementis in n. 2 recensis nequit reici (cf. can. 141, § 2, n. 3). Consultores respondent verbum “debet” non importare invaliditatem, sed tantum liceitatem.

— Proposita est sequens redactio n. 2: « Indicare quo iure innitatur actor et generatim saltem quibus factis et probationibus ad comprobanda ea quae allegantur et asseruntur ».

Pluribus Consultoribus haec formula placet, hac mutatione tamen inducta: « ... quibus factis et probationibus ad evincenda ea quae asseruntur ».

Fit suffragatio an placeat haec formula ita emendata: placet 7, non placet 1.

— Nonnullis utile videtur ut in libello exprimatur etiam domicilium vel quasi-domicilium partis conventae. Propositio placet Consultoribus qui decernunt ut in canone addatur n. 4 his verbis: « Afferre domicilium vel quasi-domicilium partis conventae ».

*Can. 141 (CIC 1709)*

§ 1. *Iudex unicus vel tribunalis collegialis praeses, postquam viderit et rem esse suaे competentiae et actori legitimam personam standi in iudicio non deesse, debet suo decreto quamprimum libellum aut admittere aut reicere.*

*§ 2. Libellus reici potest tantum:*

- 1) *si iudex vel tribunal incompetens sit;*
- 2) *si sine dubio constet actori legitimam deesse personam standi in iudicio;*
- 3) *si non servata sint praescripta can. 140, nn. 1 et 3;*
- 4) *si certo pateat ex ipso libello petitionem quolibet carere fundamento, neque fieri posse ut ullum ex processu fundamentum appareat.*

*§ 3. Si libellus reiectus fuerit ob vitia quae emendari possunt, actor novum libellum rite conjectum potest eidem iudici denuo exhibere; quod si iudex emendatum libellum reiecerit, novae reiectionis rationes exponere debet.*

*§ 4. Adversus libelli reiectionem integrum semper est parti intra tempus utile decem dierum recursum interponere vel ad collegium, si libellus reiectus fuerit a praeside, vel, in casu reiectionis a iudice unico aut a collegio, ad tribunal appellationis; a quo, audita parte et promotore iustitiae aut vinculi defensore, quaestio reiectionis expeditissime definienda est.*

*De § 1:*

— De sententia alicuius organi consultationis, iudex videre deberet legitimam personam standi in iudicio non deesse non solum actori sed etiam parti conventae. Consultores respondent ad finem admittendi vel reiciendi libellum, quod est ratio huius canonis, nihil referre utrum pars conventa habeat vel non capacitatem standi per se in iudicio.

— Suggestum est ut recusatio libelli sit semper actus collegialis, ad vitandos recursus. Consultoribus propositio non placet, quia etiamsi libellus recusetur a collegio, non potest negari recursus adversus reiectionem.

— Nonnulli suggesterunt ut in fine § 1 addantur verba: « adiectis in hoc altero casu reiectionis causis ». Consultores dicunt additionem esse superfluam, stante can. 275 de obligatione exprimendi motiva in decretis.

*De § 2:*

— De sententia quorundam organorum consultationis libellus reici deberet etiam quando careat elementis de quibus in can. 140, n. 2. Consultoribus propositio non placet, quia sapit nimia severitate.

*De § 3:*

— Suggestum est ut iudex emendare possit ex officio vitia libelli quae emendari possunt. Consultores respondent non agi de bono publico ut possit iudici talis obligatio imponi.

— Consultores delere volunt ultimam clausulam (« quod si iudex, etc. »), stante can. 275, uti supra dictum est.

*De § 4:*

— Aliquis Consultor proponit ut deleantur verba « audita parte et promotore iustitiae aut vinculi defensore » (omnibus placet).

— Formula § 4 ita emendatur:

« Adversus libelli reiectionem integrum semper est parti intra tempus utile decem dierum recursum rationibus suffultum interponere vel ad tribunal appellationis vel ad collegium si libellus reiectus fuerit a praeside; quaestio autem reiectionis expeditissime definienda est ».

— Suggestum est ut norma ita compleatur: « si tribunal superius libellum admittat, causa remittenda est pro eius tractatione ad tribunal a quo ». Consultores censem hanc declarationem non esse necessariam, quia vi § 4 tribunal appellationis videre tantum debet de recursu adversus reiectionem libelli, minime vero causam ipsam assumere.

## Adunatio diei 26 octobris 1978

Consultor aliquis aliis Consultoribus praebet novam redactionem cann. 62-67 de ordine cognitionum, quam redegit iuxta munus ipsi a Coetu commissum (cf. Relationem, Sess. II).

En textus Consultoris:

Can. 62. § 1. Vitia, quibus sententiae nullitas haberi potest, in quolibet iudicij statu vel gradu excipi possunt itemque possunt a iudice ex officio pronuntiari.

**§ 2. Praeter casus, de quibus in § 1:**

1) exceptiones, quae dicuntur litis finitae, et exceptiones omnes, quae ad causae meritum spectant, proponendae sunt ante litem contestatam vel in ipsa litis contestatione; postea proponi possunt tantummodo servato praescripto can. 156 § 3;

2) ceterae exceptiones, sive peremptoriae sive dilatoriae, quae ad iudicii personas et ordinem (vel: rationem) attinent, proponi possunt usque ad litis contestationem; quod si in litis contestatione vel contestata iam lite primum emerserint aut pars se sine culpa postea novisse probet, proponi possunt intra peremptorium triginta dierum terminum ab habita notitia.

§ 3. Actiones reconventionales proponi valide nequeunt, nisi intra triginta dies a lite contestata.

Can. 63. § 1. De proposita exceptione iudex quamprimum, etiam ante litis contestationem, videat, nisi agatur de exceptionibus, quae ad causae meritum spectant vel aliud opportunum censeat.

§ 2. Actiones reconventionales et exceptiones, quae ad causae meritum attinent, simul cum actione principali cognoscendae sunt, nisi eas separatim cognoscere necessarium iudici videatur.

§ 3. Quaestiones de cautione pro expensis iudicialibus praestanda vel de gratuiti patrocinii concessione aliaeque huiusmodi videndae sunt ante litis contestationem, nisi postea emerserint.

Can. 64. § 1. Incompetentia iudicis absoluta declarari potest, etiam ex officio, in quolibet iudicii statu vel gradu; nequit autem declarari incompetentia absoluta iudicis, qui in praecedenti gradu causam vidiit, si sanata sit ad normam can. 280.

§ 2. Iudex potest suam incompetentiam relativam declarare ex officio ante litis contestationem; postea vero, tantummodo si pars exceptionem proposuerit ad normam can. 62 § 2 n. 1.

§ 3. Adversus decisionem, qua iudex incompetens se competentem declaret, sive ex officio id fecit sive ex proposita exceptione, si incompetentia sit relativa, non datur appellatio.

Consultores hunc textum comparant cum textu quem ipsi in Sess. II recognoverunt et, post aliquam discussionem, ad conclusionem pervenient novum textum non praebere illam simpliciorem formam quam ipsi desiderabant; quare ipsis placet pristinum textum retinere, salvis quibusdam emendationibus quas inducere volunt ex suggestione quae provenit ex praesenti textu Consultoris, can. 62, §§ 1 et 3, ut nempe non tantum exceptio de incompetentia iudicis absoluta, sed etiam *exceptiones de aliis vitiis quibus sententiae nullitas haberi potest*, in quovis gradu et statu causae opponi possint. Item ut *actiones reconventionales proponi valide possint intra triginta dies a lite contestata*.

Qua de causa novissima redactio cann. 62 et 66 sequens erit:

*Can. 62*

« § 1. Vitia quibus sententiae nullitas haberi potest, in quolibet iudicii statu vel gradu excipi possunt itemque a iudice ex officio relevari.

§ 2. Praeter casus de quibus in § 1, exceptiones dilatoriae, eae praesertim quae respiciunt personas et modum iudicii, proponendae sunt ante contestationem litis, nisi contestata iam lite primum emergerint, et quamprimum definiendae ».

*Can. 66*

« § 1. Actiones reconventionales proponi valide nequeunt, nisi intra triginta dies a lite contestata.

§ 2. Cognoscantur autem simul, etc. (uti in schemate priori) ».

\* \* \*

*Can. 142 (CIC 1710)*

§ 1. *Si iudex intra mensem ab exhibito libello decretum non ediderit, quo libellum admittit vel reiicit ad normam can. 141, pars cuius interest instare potest ut iudex suo munere fungatur; quod si nihilominus iudex sileat, inutiliter lapsis quinque diebus a facta instantia, libellus pro admisso habeatur.*

§ 2. *Lex particularis potest tempora, de quibus in § 1, breviora statuere vel etiam, non tamen ultra duplum, longiora.*

— Nonnulli proposuerunt ut in § 1 termini quinque dierum protrahantur ad unum mensem. Consultoribus autem placet protrahere ad decem dies.

— Quibusdam opportunum videtur ut praeter admissionem libelli ex ipso iure, aliqua poena statuatur contra iudicem qui suo munere non fungatur. Consultoribus non placet poenam ex iure statuere contra iudicem ita neglegentem, quia tales vel similes casus solvi debent ope vigilantiae ordinariae legitimorum superiorum.

— Nonnulli conquesti sunt eo quod admissio libelli ipso iure concedatur in casu neglegentiae iudicis, dum e contra neglegentiam repell-

lere oportet. Consultores autem normam de admissione ipso iure retinere volunt sive quia iura partis ita salvantur, sive quia generatim reiectio libelli rarissime fit et ideo admissio ex iure non est incongrua.

— Suggestum est ut § 2 deleatur. Omnibus Consultoribus, uno excepto, suggestio placet.

## CAPUT II

### DE CITATIONE ET DENUNTIATIONE ACTUUM IUDICIALIUM

*Can. 143 (CIC 1711)*

§ 1. *In decreto, quo actoris libellus admittitur, debet iudex vel praeses ceteras partes in iudicium vocare seu citare ad item contestandum, designatis die et hora et loco comparitionis.*

§ 2. *Si libellus pro admisso habetur ad normam can. 142, decretum citationis in iudicium fieri debet intra decem dies a facta instantia, de qua in eo canone.*

§ 3. *Quod si partes litigantes de facto coram iudice se sistant ad causam agendum, opus non est citatione, sed actuarius significet in actis partes iudicio adfuisse.*

— Nonnullis nimis brevis videtur terminus decem dierum de quo in § 2, quare Consultores decernunt ut terminus protrahatur ad vinti dies.

*Can. 144 (CIC 1712-1713)*

§ 1. *Decretum citationis in iudicium debet statim parti conventae notificari, et simul aliis, qui comparere debent, notum fieri.*

§ 2. *Citationi libellus litis introductory adiungatur, nisi iudex propter graves causas censeat libellum significantum non esse parti ante quam haec deposuerit in iudicium.*

§ 3. *Si lis moveatur ei qui non habet liberum exercitium suorum iurium, vel liberam administrationem rerum de quibus disceptatur, citatio denuncianda est, prout casus ferat, tutori, curatori, procuratori speciali, seu ei qui ipsius nomine iudicium suscipere tenetur ad normam iuris.*

*Can. 145 (CIC 1715)*

§ 1. *Citatio denuntietur per schedam quae, praeter actoris nomen, praeceptum iudicis ad comparendum exprimat, indicatis causa, loco, die et hora comparitionis et aliis quae lex particularis forte requirat.*

§ 2. *Citatio, sigillo tribunalis munita, subscribenda est a iudice vel ab eius auditore et a notario.*

*Can. 146 (CIC 1716)*

*Citatio dupli scheda conficiatur, quarum altera remittatur parti conventae, altera asservetur in actis.*

*Can. 147 (CIC 1719)*

§ 1. *Citationis scheda denuntianda est per Curiae cursorem vel per tabellarios publicos, dummodo commendata et cum syngrapha receptionis, vel alio modo qui secundum locorum leges et conditiones tutissimus sit, servatis normis particulari statutis.*

§ 2. *Receptae citationis documentum servetur in actis.*

*Can. 148 (CIC 1717)*

§ 1. *Citationis scheda, si fieri poterit, tradenda est ipsi convento ubicumque is invenitur.*

§ 2. *Ad hoc cursor etiam fines alterius dioecesis ingredi potest, si iudex id expedire censuerit et eidem cursori mandaverit.*

§ 3. *Si cursor personam conventam non invenerit in loco ubi commoratur, relinquere poterit citatoriam schedam alicui de eius familia aut famulatu, si hic eam recipere paratus sit ac spondeat se reo convento quamprimum schedam acceptam traditurum; sin minus eam ad iudicem referat, ut transmittatur ad normam can. 150.*

§ 4. *Lex particularis potest normas huius canonis completere vel iis derogare.*

*Can. 149 (CIC 1718)*

*Conventus qui citatoriam schedam recipere recuset, vel qui impedit quominus citatio ad se perveniat, legitime citatus habeatur.*

*Can. 150 (CIC 1720-1722)*

§ 1. *Quoties, diligent inquisitione peracta, adhuc ignoratur ubi commoretur pars citanda, locus est citationi per edictum.*

*§ 2. Hoc autem fit affigendo et ad fines ecclesiae paroecialis ultimi domicilii noti et ad fines tribunalis schedam citationis ad modum edicti per tempus prudenti iudicis arbitrio determinandum et in aliqua publica ephemeride eam inserendo.*

*§ 3. Si quod ex iis, quae in § 2 praescribuntur, fieri nequeat, unum saltem fiat, servatis praeterea, si quae sint, normis iuris particularis.*

*Can. 151 (CIC 1723)*

*Si scheda citatoria non fuerit legitime intimata, nullius momenti sunt tum citatio tum acta processus, nisi pars nibilominus comparuerit ad causam tractandam.*

*Can. 152 (CIC 1724)*

*Regulae superius statutae pro conventi citatione, ceteris quoque iudicii actibus, pro diversa tamen eorum natura, accommodandae et applicandae sunt, ut decretorum vel sententiarum denuntiationi aliisque huiusmodi.*

Plures Consultores volunt cann. 144-152 ad simpliciorem formam reducere, attentis etiam suggestionibus quorundam organorum consultationis. Ideo fit excussio sententiarum singulorum Consultorum circa elementa horum canonum quae notabilia videantur quaeque servari debent. Post brevem discussionem omnes consentire videntur ut in canonibus haec dicantur:

— decretum citationis notificari debet parti conventae: ita omnes Consultores;

— libellus litis introductorys adiungatur citationi, quod valet pro processu contentioso ordinario; utrum hoc valeat etiam pro causis matrimonialibus, videbitur suo loco: ita quinque Consultores. Duo Consultores non totum libellum citationi adiungere vellent sed notificare tantum causam principalem citationis; unus Consultor autem rem remittere vellet prudentiae iudicis;

— citatio denuntietur per publicos tabellarios vel alio tutissimo modo qui secundum locorum consuetudines tutissimus sit et constet ex actis: ita omnes Consultores.

His dictis examinatur quinam ex canonibus 144-152 servandi sint, quinam suppressandi, quid addendum vel mutandum:

*Can. 143: manet uti est.*

Can. 144: manet uti est.

Can. 145: ita mutatur: « § 1. Citationum decretorum sententiarum aliorumque iudicialium actorum notificatio facienda est per publicos tabellarios vel alio modo qui tutissimus sit, servatis normis lege particulari statutis.

§ 2. De facto notificationis et de eius modo constare debet in actis ».

Cann. 146-147-148: supprimuntur.

Can. 149: manet uti est.

Can. 150: supprimitur.

Can. 151: ita mutatur: « Si citatio non fuerit legitime notificata, nulla sunt acta processus, salvo praescripto can. 143, § 3 ».

Can. 152: supprimitur (cf. can. 145).

Can. 153 (CIC 1725)

*Cum citatio legitime intimata fuerit ad normam cann. 147-150 aut partes coram iudice steterint ad causam tractandam:*

- 1) *res desinit esse integra;*
- 2) *causa fit propria illius iudicis aut tribunalis ceteroquin competentis, coram quo actio instituta est;*
- 3) *in iudice delegato firma redditur iurisdictio ita ut non expiret resoluto iure delegantis;*
- 4) *interrumpitur praescriptio, nisi aliud cautum sit, ad normam can. 1508 (CIC);*
- 5) *possessor rei alienae desinit esse bonae fidei; ideoque, si damnatur ut rem restituat, fructus quoque a citationis die reddere debet, et damna sarcire;*
- 6) *lis pendere incipit; et ideo statim locum habet principium lite pendente, nihil innovetur.*

— Initio canonis ita legi debet: « Cum citatio legitime notificata fuerit aut partes coram iudice, etc. ».

— Nonnulli proposuerunt ut effectus de quo in n. 5 habeatur cum litis contestata sit, postquam scilicet tribunalis innotuerit quaenam sit positio partis conventae circa causam.

Propositio haec placet Consultoribus; quare, post can. 156 inseri debet novus canon ita redactus:

Can. 156 bis. « Lite contestata possessor rei alienae desinit esse bonae fidei; ideoque, si damnatur ut rem restituat, fructus quoque a contestationis die reddere debet et damna sarcire ».

Adunatio diei 27 octobris 1978

TITULUS II  
DE LITIS CONTESTATIONE

*Can. 154 (CIC 1726)*

*Obiectum seu materia iudicii determinatur litis contestatione qua proponuntur controversiae termini iudicialiter definiendi.*

*Can. 155 (CIC 1727-1728)*

*Ad litis contestationem sufficit ut, partibus coram iudice vel eius delegato comparentibus, in actis inserantur partium petitiones responsionesque; in causis autem implicatoribus dubium vel dubia concordantur, quibus respondendum est in sententia.*

*Can. 156 (CIC 1729)*

*§ 1. Si dubia sint concordanda et qua pars non comparuerit, dubiorum formula statuatur a iudice, parte, quae praesens fuerit, id postulante. Parti autem absenti statim id notum fiat ex officio ut quas velit exceptiones contra dubiorum formulam possit proponere.*

*§ 2. Si vero partes dissentiant aut earum conclusiones iudici non probentur, iudex ipse controversiam dirimat decreto.*

*§ 3. Dubiorum formula semel statuta mutari non potest, nisi novo decreto, ex gravi causa, ad instantiam partis, vel promotoris iustitiae, vel defensoris vinculi, audita utraque vel alterutra parte eiusque rationibus perpensis.*

Quidam Consultor censem can. 154 supprimi posse, si initio can. 155 ita dicatur: «*Ad litis contestationem, qua controversiae termini iudicialiter proponuntur, sufficit, etc.*». Imo ipse Consultor censem formulam contestationem litis praetermitti posse dummodo pars conventa sciat quaenam sit quaestio tribunalis proposita et aliae notitiae dentur si ipsa petat.

De sententia duorum Consultorum contestatio litis non est nisi unus modus proponendi parti terminos controversiae. Posset ergo sup-

primi contestatio litis tamquam stadius aliquis formalis processus et si quae normae de definitione terminorum controversiae dandae sint, id fieri potest in capite praecedenti de citatione, quod inscribi posset *de initio litis*.

Alter Consultor extollit momentum huius instituti de contestatione litis, quod est peculiare in iure canonico quodque etiam a civilistis laudatur, quia bene determinantur dubia quibus sententia respondere debet. Duo alii Consultores idem sentiunt circa necessitatem definiendi iudicialiter terminos controversiae, quamvis concedant non semper praesentiam partium esse necessariam.

Post discussionem proponitur aliqua formula canonis, qua subveniri forsan potest instantiis prolatis a Consultoribus, qui ex una parte vident commodum huius instituti quod attinet ad determinationem terminorum controversiae, ex alia parte vero evolutionem processus agiliorem ac simpliciorem reddere vellent.

En formula quae proponitur:

*Can. 154.* « § 1. Contestatio litis habetur cum per iudicis decre-  
tum controversiae termini, ex partium petitionibus et responsionibus  
desumpti, definiuntur.

§ 2. Partium petitiones responsionesque praeterquam in libello  
litis introductorio, possunt vel in responsione ad citationem exprimi  
vel in declarationibus ore coram iudice factis; in causis autem difficilioribus  
partes convocandae sunt a iudice ad dubium vel dubia concordanda,  
quibus in sententia respondendum sit.

§ 3. Decretum iudicis partibus notificandum est; quae nisi iam conserint,  
possunt intra decem dies ad ipsum iudicem recurrere ut mutetur;  
quaestio autem expeditissime ipsius iudicis decreto dirimenda  
est ».

Formula canonis omnibus placet, excepto uno Consultore, qui velle  
nomen « contestatio litis » reservare tantum illae concordantiae du-  
biorum pro causis difficilioribus de quibus in § 2.

Hoc canone admisso, supprimuntur cann. 154-156 schematis, ex-  
cepto § 3 can. 156; quare can. 156 constabit una tantum § his tamen  
verbis: « Controversiae termini semel statuti mutari nequeunt, nisi  
novo decreto, ex gravi causa, ad instantiam partis et reliquis partibus  
auditis ».

*Can. 157 (CIC 1731)*

*Lite contestata, iudex congruum tempus partibus praestituat probationibus proponendis et explendis; quod quidem poterit, instantibus partibus, prudentia sua prorogare, dummodo ne lis, ultra quam aequum sit, protrahatur.*

— De sententia alicuius organi consultationis, secunda pars canonis (« quod quidem poterit, etc. ... ») supprimi potest, quia continet normam obviam. Consultores concordant.

\* \* \*

Recognitione canonum de contestatione litis ita peracta, denuo examinantur cann. 143, § 1 et can. 144 qui coordinari debent cum novo can. 154 nuper redacto.

— De can. 143 § 1 ita proponitur mutatio:

« § 1. In decreto quo actoris libellus admittitur, debet iudex vel praeses ceteras partes in iudicium vocare seu citare ad litem contestandam, statuens utrum eae scripto respondere debeant an coram ipso se sistere ad dubia concordanda. Quod si ex scriptis responsonibus perspiciat necessitatem partes convocandi, id potest novo decreto statuere ».

Fit suffragatio per partes huius formulae:

- An placeat 1<sup>a</sup> pars: placet 8, non placet 1.
- An placeat 2<sup>a</sup> pars: placet 7, non placet 2.

Duo Consultores suffragium negativum dederunt, quia tribuere vellet iudici facultatem etiam statuendi ex officio dubium vel dubia.

De can. 144 sequens formula approbatur:

« § 1. Decretum citationis in iudicium una cum libello litis introductorio debet statim parti conventae notificari, et simul aliis, qui cintandi sunt.

§ 2. Si lis moveatur ei qui non habet liberum exercitium suorum iurium, vel liberam administrationem rerum de quibus disceptatur, citatio denuntianda est, prout casus ferat, tutori, curatori, procuratori speciali, seu ei qui ipsius nomine iudicium suscipere tenetur ad normam iuris ».

TITULUS III  
DE LITIS INSTANTIA

*Can. 158 (CIC 1732)*

*Instantiae initium fit citatione; finis autem non solum pronuntiatione sententiae definitivae, sed etiam aliis modis a iure praefinitis.*

— Unum tantum organum consultationis petiit ut instantiae initium fiat litis contestatione. Propositio autem non placet Consultoribus.

— Est qui censeat in praesenti titulo opportune recenseri posse alios modos quibus finis instantiae fit, ut puta renuntiatio actionis, transactio, compromissum in arbitros, amissio ob causas fortuitas objecti litigiosi. Consultores vero censem non esse necessarium ut talis index recenseatur hic, quia id pertinet potius ad manualia pro scholis.

*Can. 159 (CIC 1733)*

*Si pars litigans moriatur aut statum mutet aut cesset ab officio cuius ratione agit:*

1) *causa nondum conclusa, instantia suspenditur donec heres defuncti aut successor aut interesse habens litem prosequatur;*

2) *causa conclusa, iudex procedere debet ad ulteriora, citato procuratore, si adsit, secus defuncti herede vel successore.*

— Consultores ita formulam n. 1 mutant, maioris claritatis causa:  
« ... donec heres defuncti aut successor *aut is cuius intersit litem resumat* ».

*Can. 160 (CIC 1735)*

§ 1. *Procuratore vel tutore vel alio partis repraesentante a munere cessante, interim instantia suspensa manet.*

§ 2. *In casu, de quo in § 1, si quidem pars sit minor vel rationis usu destituta, iudex ipse curet ut novus repraesentans quamprimum constituatur; sin autem pars sit plene capax, iudex brevem terminum prae finiat, non ultra triginta dies utiles, ad novum repraesentantem constitendum, quo termino transacto pars censemur instantiae renuntiasse, nisi antea professa sit se deinceps per se ipsam acturam.*

Consultores communi consilio ita canonem ad simpliciorem formam redigunt:

« § 1. Si a munere cesseret tutor vel curator vel procurator qui sit ad normam can. 87, §§ 1 et 3 necessarius instantia interim suspenditur.

§ 2. Alium autem tutorem vel curatorem iudex quamprimum constitutus; procuratorem vero ad litem constituere potest si pars neglexerit intra breve terminum ab ipso iudice statutum ».

*Can. 161 (CIC 1736)*

*Si nullus actus processualis, quin aliquod obstet impedimentum, ponatur a partibus in tribunali primae instantiae per annum aut in gradu appellationis per sex menses, instantia perimitur. Lex particularis alios peremptionis terminos statuere potest.*

Nonnulli petierunt ut breviores termini statuantur pro peremptione instantiae si occurrant circumstantiae in canone recensitae.

Consultores propositionem bene accipiunt, quia opportunum ipsis videtur ut iura non sint incerta per longum tempus; ideo, post brevem discussionem, omnibus placet sententia alicuius Consultoris statuendi terminum sex mensium pro peremptione instantiae sive in primo gradu sive in gradu appellationis, quando nullus actus processualis ponatur infra tale tempus.

*Can. 162 (CIC 1737)*

*Peremptio obtinet ipso iure et adversus omnes, minores quoque aliosve minoribus aequiparatos, eaque ex officio etiam declarari debet, salvo iure regressus ad indemnitudinem adversus tutores, curatores, administratores, procuratores, qui culpa se caruisse non probaverint.*

Aliquis Consultor proponit ut dicatur « salvo iure petenti indemnitudinem adversus tutores, etc. ... », loco « salvo iure regressus ad indemnitudinem ... » (omnibus placet).

*Can. 163 (CIC 1738)*

*Peremptio extinguit acta processus, non vero acta causae; imo haec vim habere possunt etiam in alia instantia, dummodo ea inter easdem personas et super eadem re intercedat; sed ad extraneos quod attinet, non aliam vim obtinent nisi documentorum.*

De hoc canone factae non sunt animadversiones.

*Can. 164 (CIC 1739)*

*Perempti iudicij expensas, quas quisque ex litigatoribus fecerit, ipse ferat.*

Consultor quidam dicere vellet « Peremptae instantiae » loco « perempti iudicij », claritatis causa; sed aliis Consultoribus propositio non placet.

*Can. 165 (CIC 1740)*

§ 1. *In quolibet statu et gradu iudicij potest actor instantiae renuntiare; item tum actor tum reus possunt processus actis renuntiare sive omnibus sive nonnullis tantum.*

§ 2. *Tutores et administratores personarum iuridicarum, ut renuntiare possint instantiae, egent consilio vel consensu eorum quorum concursus requiritur ad ponendos actus qui ordinariae administrationis fines excedunt.*

§ 3. *Renuntiatio ut valeat, peragenda est scripto, et a parte vel ab eius procuratore, speciali tamen mandato munito, debet subscribi, cum altera parte communicari, ab eaque acceptari, vel saltem non impugnari, et a iudice admitti.*

— In § 1 dici debet « pars conventa » loco « reus ».

— § 2 supprimi poterit, si in libro de Normis Generalibus habebitur canon ubi recensentur quinam actus ordinariam administrationem excedunt quique poni valide nequeunt nisi accedat consensus legitimae auctoritatis.

— Consultor quidam vellet ut in § 3 verba « ab eaque acceptari vel saltem non impugnari » valeant tantum pro causis de bono privato, non autem de bono publico.

Fit suffragatio an placeat haec suggestio: placet 2, non placet 6.

*Can. 166 (CIC 1741)*

*Renuntiatio a iudice admissa, pro actis quibus renuntiatum est, eosdem parit effectus ac peremptio instantiae; et obligat renuntiantem ad solvendas expensas actorum, quibus renuntiatum fuit.*

De hoc canone non factae sunt animadversiones.

TITULUS IV  
DE PROBATIONIBUS

*Can. 167 (CIC 1747-1748)*

- § 1. *Onus probandi incumbit ei qui asserit.*
- § 2. *Non indigent probationem:*
  - 1) *facta notoria;*
  - 2) *quae ab ipsa lege praesumuntur;*
  - 3) *facta ab uno ex contendentibus asserta et ab altero admissa, nisi a iure vel a iudice probatio nihilominus exigatur.*

— Consultor quidam crism movet de § 2, n. 1, quia dantur facta quae habentur ut notoria et tamen non sunt vera.

Duo Consultores censem dici posse « facta quae a iudice declarata sunt notoria ».

Alter Consultor vero censem n. 1 deleri posse sine ullo incommodo, quia si facta sunt notoria facilior erit eorum probatio.

Post brevem discussionem Consultoribus placet delere n. 1.

*Can. 168 (CIC 1749)*

- § 1. *Probationes cuiuslibet generis, quae ad causam cognoscendam utiles videantur et sint licitae, admitti possunt a iudice.*

§ 2. *Si pars instet ut probatio a iudice reiecta admittatur, ipse iudex rem expeditissime definiat.*

— Suggestum est ut in § 1 dicatur « debent » loco « possunt ». Pluribus Consultoribus suggestio congrua videtur, at unus Consultor proponit ut sermo fiat de *adductione* potius quam de *admissione* probationum et norma ideo redigatur ita: « Probationes cuiuslibet generis, quae ad causam utiles videantur et sint licitae, adduci possunt ».

Fit suffragatio an placeat haec formula: placet 5, non placet 2.

*Can. 169 (novus)*

*Si qua pars vel testis coram sacerdote catholico se sistere ad respondendum renuat, audiatur per laicum ab Episcopo designatum; quod si ne id quidem fieri possit, requiratur eius declaratio coram publico notario vel alio legitimo modo peracta.*

Aliquis Consultor proponit hanc redactionem canonis, quae omnibus placet:

« Si pars vel testis se sistere ad respondendum coram iudice renuat, licet eum audire etiam per laicum a iudice designatum aut requirere eius declarationem coram publico notario vel quovis alio legitimo modo ».

*Can. 170 (CIC 1730)*

*Iudex ad testimoniorum aliarumque probationum receptionem ne procedat ante litis contestationem nisi ob iustum et gravem causam.*

Suggestum est ab aliquo organo consultationis ut initio canonis haec verba addantur: « Exclusis documentis quae adiiciat actor ad libellum litis introductorym, vel quae conventus in contestatione exhibeat, iudex, etc. ».

Suggestio placet Consultoribus, attamen, ad formulam quod attinet, desideratur brevior locutio. Quidam Consultor proponit ut dicatur:

« Iudex ad causae instructionem ne procedat ante litis contestationem ... ». Tandem communi consilio Consultores hanc formulam redigunt:

« Iudex ad probationes colligendas ne procedat ante litis contestationem nisi ob gravem causam ».

